

IACOBI PELETARII MATH-
 ET MATHEMATICI IN COM-
 mentarium De Contactu li-
 nearum,

PRAEFATIO.



TSI inuentionem Artium & Scientiarum nemini cuiquam mortalium tribuendam esse, alio loco prodidimus: sed earum semina mentibus nostris indita, diuino impulsu & temporū serie emergere: id unum tamen ad propriam Hominis laudem pertinere arbitror, quòd igniculos illos tanquam in uenis silicis, ut loquitur Poeta, abstrusos, excutere & suscitare studeat. Tum enim homo homini quid praestet, intelligitur, quum unusquisque pro sua parte in commune contulerit. Et sanè benignum est ueterum memoriam colere, tanquam illis optima quæque debeamus, quæ tamen pleraque ipsi uel per manus acceperunt, uel ad acceptorū exemplum composuerunt. Quæ uerò singularem habent ingenij commendationem, quale est illud pulcherrimum Pythagoræ de Trianguli Rectanguli lateribus inuentum, non communi quadam laude prosequi debemus, sed pro cuiusque dignitate priuatim admirari. Ac tametsi ad supremam illam causam omnia sunt referenda, tamen id per gradus facere necesse est: ut sit in quo nos exerceamus, & omnia suis temporibus numerisque diuidamus. Certè in Geometria, ut de cæteris artibus nihil dicam, plurimum nominatim debemus Thaleti, Pythagoræ, Platoni, Hippocrati, Architaë: tum uerò Euclidi, Apollonio, Archimedi, aliisque quos hinc appellandi non est locus. Horum enim quisque de suo in medium sic contulit, ut nobis tandem Ars illa omnium pulcherrima constitit: in qua licet multa desint (nunquam enim absoluta dabitur) tamen eiusmodi est, ut ad noua commentanda uiam amplissimam ostendat: quinetiam in inuentorum usu & exercitatione conuiescere cum laude possint præclara hominum ingenia. Ac ne posterioribus seculis honesta illa doctrinæ æmulatio deesset, multa quidem prioribus incognita, quædam etiam parum diligenter animaduersa deprehenduntur. Cuiusmodi est de Contactu Linearum opinio, hucusque pro certa ab Euclide relicta: sed ex qua in Geometria ij resultabant Paralogismi, qui Artis fidem eleuarent. Eos in nostris Demonstrationibus ante aliquot an-

nos